

DISSERTATIONIS,
DE
BIBLIOTHECARIIS
ACADEMIÆ ABOËNSIS,
PARTICULA QUARTA.

QUAM,

ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURAIKO,
publico examini,

in Audit. Jurid. d. XXVI Maji a. MDCCCXIX,
h. p. m. f.

PRÆSIDE

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,

Hist. Litter. Prof. Publ. Ord. et Biblioth. Acad. Præfecto,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

modeste subjicit

GABRIEL WALLENIUS,

Stip. Publ. Ostrobothniensis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

THESES.

I.

Cultum, tam animi, quam morum, a constitutione civitatum quamplurimum pendere, negandum non videtur.

II.

Ut in civitate minus bene instituta et gubernata florere haudquam possunt artes, quibus exercentur ingenia mitiganturque mores hominum, ita etiam non potest non fieri, ut civitatis quæ cultura gaudet membra, majori quam rudiores homines securitate felicitateque fruantur.

III.

Unde quoque apparet, digniorem nullam fere esse rem, in qua operam et impensam collocent rerumpublicarum gubernatores, institutione publica.

IV.

Ad genuinam culturam in civitate quavis promovendam brevior nulla est via, quam si superiores civium ordines vera imbuantur eruditione. Inferiores, in quibus multam sæpe nocere, semper superfluum aut inutilem esse arbitramur doctrinam, illorum exemplis, experientia et sensu communi adjuti, optime deinde instituentur.

V.

Historia Litteraria, ut Politica, fabulosam suam habet ætatem, quæ tenebris involuta semper manebit.

VI.

Ad conjecturas ergo et hypotheses nobis sæpe est fugiendum, quando origines fatæque scientiarum antiquissima explicare conamur.

VII.

Auctorem si quæras artis scribendi, ad metam pervenire nunquam poteris.

VIII.

Neque dubitamus, artem laudatam non ab uno, sed a pluribus, inventam esse, perfectionemque hodiernam multis sæculis debere.

IX.

Recens inventa illa ars, minoris forsitan iis qui tum vixerunt momenti visa est, quam ut auctoris memoriam posteris servarent,

PE, compensatione ei in Protocollo Consistorii d. 7 Dec. ejus anni decreto unanimi scripta erogatae in Bibliothecam pecuniae; quae tamen quanti aestimata tum fuerit nescimus, in Rationario, summa tantum omnis e Fisco sumtae eo anno pecuniae in-ita, singulis quid latum fuerit desiderantes.

Deposito autem in medio anni 1659 Bibliothecarii officio; ab administratione tamen Bibliothecae in perpetuum desistere vetuit succesoris, parum eam facientis, longior quam et librorum cura et legentium ferret commodum, haud rara a loco absentia. Eo enim ab aestate anni 1662 ad finem pæne a. 1663 partim Holmiae partim in Germania agente, administratore tamdiu carere non posse Bibliothecam judicantes Patres Academici, regendam eandem interim KEMPPIO, pristino usu ad id faciendum exercitatisimo et multis nominibus de thesauro hoc litterario bene admodum merito, d. 11 Febr. a. 1663 tradiderunt, unacum gratuito labore fidei testimonium integerrimae novum ipsi hoc facto offerentes. — Sed — de Bibliothecario fatis jam. Redeamus ad Profesorem.

Primis de Professione Politices et Historiarum KEMPPIO demandata litteris d. 9 Sept. a. 1658 Consistorio Academico exhibitis, decretum mox est, ut publice legendi initium unacum caeteris faceret Profesoribus; utrum ratione habita prioris cujusdam consilii, quo partibus ad sedem eandem vacantem pertinentibus obeundis praefectus fuerit, Adjunctus adhuc Facultatis Philosophicae (zzz), an minoris factis lectionum auspiciis, ab inauguralibus sollempniis capiendis, nescimus. Sollempnia autem

zzz) Functos tum temporis fuisse his partibus Adjunctos Facultatis ambos, KEMPPIUM cum collega ANDR. PETRAEO, narravit ABR. THAUVONIUS, in epistola ad Cancellarium circa initium anni 1658 scripta, cujus contenta Epitome *Tengströmiana* praebet.

tem hæc præscripto ritu d. 9 Nov. dicti anni celebrata sunt (aaaa). Salarii igitur ex huc usque gesto munere fluentis usum festo S. ti Johannis Baptistæ a. 1659 tenus sibi prorogandum, exemplo aliorum, quibus idem commodi denegatum antea non fuerat, plurimisque suis officiis, ut et operibus, multa rerum suarum diminutione prelo emisissis, alia ab eo prolata ut taceamus argumenta, succesus spem alentibus, petenti GYLLENSTOLPIO concedere hoc noluisse KEMPIUM, de suo nihil derogatum ferentem, tanto minus miremur, quanto certius constat, jura et emolumenta novi in Regio Dicafterio loci adeptum jam illum, sine injuria huic injuncta retinere non potuisse præmium laboris, jam non sui, sed hujus, quantoque clarius cuique elucet, succesori jam nominato nihil præripiendum esse in favorem antea sedem eandem tenentis, vel optime de republica meriti. Nec igitur non probare assensu nostro possumus sententiam Confistorii Academici, causam hanc ita dirimentem, ut pro a. 1658 stipendium Adjuncti dimidium, Bibliothecarii integrum, et Profesori Politices atque Historiarum assignati illius trientem, besse GYLLENSTOLPIO cedente, KEMPE mereret (bbbb). Quam, ad superiorum judicium referre, iniquam quasi, volente quamvis illo (cccc), infractam etiam mansisse Rationarium docet,

In

aaaa) Cfr. *Votivæ acclamationes, quibus Præclarissimo, Spectatissimo et Eruditissimo Viro M. AXELIO A. KEMPE, antehac in Regia Aboënsi Academia Bibliothecario solertissimo, nunc Phil. Præf. Profesori dexterrimo, felicem introductionis festivitatem, quæ Aboæ 9 Novemb. A. 1658 in Auditorio majori solenniter celebrata est, ex animo precantur Sympatriotæ et Discipuli ad omnia officiorum genera propensissimi. Aboæ. 4to.*

bbbb) Vid. Prot. Conf. Acad. dd, 3, 6 et 17 Nov. a. 1658, et Libellus GYLLENSTOLPII illo scriptus die.

cccc) Vid. Libellus diei 24 Nov. et Prot. Conf. Acad. e. d. a. 1658,

In novum officium colendum eadem dexteritatis solertia eodemque diligentiae ardore, quo huc usque sibi injunctis functus erat partibus, quin incubuerit Noster, ita ut non defluxisse in spei, eventu probatae, meta, sed proprio vigore exarsisse veri, utilis atque honesti in eo studium appareret, tanto minus dubitamus, quanto majorem vim laudi, ab hominibus illa tempestate viventibus profectae, summo cum studiosae juventutis commodo fideliter administratae provinciae (dddd), et eodem maxime tempore exeuntia egregia ingenii industriæque specimina, haud pauca, et exors adhuc alius ultro oblatu honos, addunt.

Tribus namque ultra decennium in provincia ea completis annis, ne cogitanti quidem discesum in aliam, S. Reg. Majestatis gratia, procurante Illustrissimo Academiae Cancellario, munus obtigit, laboris quidem majoris, utpote unius tantum opera sustinendi, sed lautioris simul fortunae (eeee), Juris scilicet, utriusque Professoris, in quod succedendi locum pristino æmulo reliquerat OL. WEXIONIUS, ad cœlestia d. 20 Aprilis a. 1671 migrans. Eodem hoc anno d. 15 Sept. allato nominationis nuntio, decretum tulit KEMPE Senatus Academici de sparta nova mox suscipienda, Designati Juris Professoris titulo nomini suo in Elencho Lætionum, prelo propediem subjiciendo, apposito, donec inaugurali eandem auspicatoris esset pompa, cui, recitata deinde d. 22 Nov. in Consistorio Regiæ confirmationis tabula (ffff), dies 28:us ejusdem mensis est dicatus.

In

dddd) Legatur Programma FALANDRI.

eeee) Anno 1663 stipendium Thalerorum CCCCL argenteor. Juris Professori est tributum, cujus salarium quadrante Philosophorum illa huc usque exsuperaverant.

ffff) Haud multo post obitum WEXIONII perscriptam fuisse hanc, ex

In secunda hac Professione ad finem usque vitæ perman-
 sit, nec sine laude operæ, *quantum per ætatem et difficultates
 objectas alias licuit, datæ ut, sicut veram, non fucatam simula-
 tamque, Philosophiam profesus, ita cunctis officiis impletet mu-
 nus innocentis justitiæ sacerdotis (gggg).* Videmur autem no-
 bis videre jam Nostri, ultimum præsertim ætatis lustrum agen-
 tis, vires laboribus exhaustos, animumque calamitatibus va-
 riis presum, antiquum bene merendi studium sæpius deficientes,
 adeo ut parum abfuerit quin sua culpa in odia incurreret
 hominum, aut minus bene sibi cupientium, aut labentem se-
 vera nimis notatione animadvertentium, et in reprehensionem
 eorum, quibus videndum erat, ne detrimenti quid res Acade-
 mica caperet. Causas deflorescentis præmature ingravescente
 ætate vigoris examinandi alius erit locus; hoc mali obrepentis
 vim exposuisse sufficiat. Nec enim opuscula, quibus Uni-
 versitates Suecane semper abundarunt, Dissertationes puta,
 unicam si exceperis, nec alia quædam diligentiae specimina
 publicæ luci tradidit, postquam Juris esfet Profesor factus,
 KEMPE, neque cæterum officio qua par esfet curæ intentione
 fungebatur, plurimam anni partem ruri agens, rarius in Se-
 natum Academicum veniens convocatum, et tam prælectiones,
 vacuis quippe audientium subfelliis, quam alias muneris par-
 tes publicas, intermittens (hhhh), rebus itidem moribusque Stu-
 dioforum provida fatis atque impigra inspectione privatim re-
 gendis

eo colligas, quod jam die 8 Jun, a. 1671 in locum KEMPE Regiis
 litteris substitutus est Bibliothecarius antehac SAM. GYLLENSTOLPE,
 ut e Prot. Conf. Acad. d. 15 Sept. a. e. conficitur.

gggg) Cfr. Programma FALANDRI atque Oratio Parentalis GAER. WAL-
 LENII.

hhhh) Rem loquuntur Protocolla Conf. Acad. inprimis die, 13 Nov.
 a. 1678, 11 Sept. a. 1680, et 8 Apr. atque 14 Jul. a. 1681.

gendis moderandisque minor (*iiii*). Minime autem æquo remisli animi sensu tulisse ipsum vires vergentis ætatis effluentes, studium testatur, quo mature satis id egit, ut adjutore uteretur, qui potestati suæ, ubi in munere obeundo deesset, integro vicarius succederet robore. Cancellario nempe ad considerandum exposita facultate sua, ætate adeo fracta, ut quo animus ferret successu studiosæ juventutis commodo, lectionibus publicis et collegiis privatis promovendo, inservire non valeret, adiutorem sibi Depositorum tum temporis Magistrum NICOLAUM RINGIUM, titulo Juris Professoris Extraordinarii propterea ornandum, optavit. Cujus voti compotem etiam litteris d. 29 Apr. a. 1678 ad Consistorium Academicum dictatis fecit Vir Illustrissimus, monenti autem deinde Collegio huic, tam amplam esse Facultatem illam Juridicam, ut RINGIO, in jure nec exercito, nec speciminibus publicis probato credi vix posset, adeoque se eidem privatis lectionibus et exercitiis juventuti in jus Svecanum præeundi veniam, lectione Justinianeæ Politices atque Historiarum Profesori injuncta (*kkkk*), dum Holmiæ versaretur Juris Profesfor Ordinarius, concessisse, nuntianti, ita postmodum annuit, ut probato Consistorii de hac re judicio, utpote firmis omnino graviorum rationum fundamentis nixo, quæcunque eidem convenienter constituta erant, litteris

iiii) Ut Wiburgensium Natio, eo Inspectore languens valde et labans, alacriori et vigilantiori cujusdam moderamini committeretur, rogante, litteris ad Senatam Academicum, vel ipsum de salute coetus illius sæpius admodum sollicitum, missis, Capitulo Wiburgensi, quod in ea re vitii fuit in remisam KEMPII curam devolutum esse docent Protocoll. Conf. Acad. dd. 16 Maji atque 25 Jun. a. 1681.

kkkk) De legendi sparta Polit. et Histor. Profesfori tradita quod habet excerptum *Tengströmianum* epistolæ Consistorii ad BRAHEUM d. 23 Nov. a. 1678 scriptæ, in Actis Academiae relatam non legimus.

teris d. 9 Jan. a. 1679 rata in omnem partem faceret (llll). Quam hac vice præciderant collegæ, virium imbecillitate nondum postulatam existimantes (mmmm) ætatis veniam, eam triennio elapso adeo non negandam mutato censuerunt consilio, ut et delapsæ admodum Facultati Juridicæ, senio infortunioque confectus rite sustinere quam non valere videretur KEMPE, succurrendi modum a Cancellario ultro expeterent (nnnn), et mox, fonticis flagitantibus causis, semestres legendi vices ejus Hebrææ et Græcæ Linguarum Profesori Mag. ERICO FALANDRO explendas autumnò a. 1681. traderent (oooo). Moribundo autem sic dati vix alius fuit fructus otii, quam ut Academicis quidem curis vacuum efflare liceret animam; quod factum est d. 4 Jan. anno 1682, hora pomeridiana tertia, postquam *autumno proximo, in Novembri præcipue, ultimæ sentire varia præfagia horæ inceperit, et tandem clinicus factus Sacræ Cocnæ viatico die ultimo Decembris instructus fuerit* (pppp).
Cor-

lll) Alienus a RINGIO Senatus Academicus, parumque frugis ab eo sperans, vel nomen Profesoris Extraordinarii ei negavit, in litteris Cancellarii posterioribus quoque utut usitatum. Cfr. Prot. Confist. Acad. dd. 13 Nov. a. 1678 et 27 Oct. a. 1680, nec non Litt. Cancell. d. 21 Aug. e. a. et prototyp. litter. Confist. haud multo ferius, ut videtur, ad Cancell. misarum. Paulo etiam postea Academicæ valedixit, Judex Territorialis a. 1681 factus, RINGIUS hic, quem igitur perperam *Aboæ Lit.* pag. 94. Pastorem Carleburgensium vocat Nobiliss. STJERNMAN, cum patre, ni fallimur, confundens, qui Conrector Scholæ Carleburgensis nominatus a. 1642 et Pastor Ecclesiæ ejusdem loci a. 1654, obiit a 1680. Disertationes enim, quas pag. sequ. huic auctori tribuit, illius sunt.

mmmm) Vid. Prot. Conf. Acad. d. 12 Sept. a. 1678.

nnnn) Vid. Prot. Conf. Acad. d. 14 Jul. a. 1681.

oooo) Vid. Prot. Conf. Acad. d. 15 Febr. a. 1682.

pppp) GABR. WALLENIO præcunte hæc scripsimus,

Corpus, decenti funere elatum, terræ in templo Cathedrali Aboënsi mandatum est die 5 Febr., quo eodem Patres Civesque Academicos ad exuviis beati supremum exhibendum honorem, Programmate publico, vitæ momenta ejusdem præcipua recensens hortatus erat, et simul ad audiendam Orationem Panegyricam, qua copiosius eadem perendino die 7^{mo} expositurus esset Bibliothecarius GABR. WALLENIUS, invitaverat Academiæ hoc anno Rector, Mag. ER. FALANDER (qqqq).

Purpuram Academicam bis gesfit KEMPE, primam a die 17 Maji a. 1664 (rrrr) ad d. 21 Jun. sequentis, secundam a d. 22 Jun. a. 1675 (ssss) ad eundem diem a. 1676. — Decanus Facultatis Philosophicæ itidem bis fuit, cujus nomine semel, d. 26 Maji a. 1668, Lauream summorumque in Philosophia

H

ho-

qqqq) Editum simul est: *Officium supremum, Viro Excellentissimo atque Consultissimo, Dn. M. AXELIO A. KEMPE, in inclyta Academia Aboënsi antehac Juris Professore Celeberrimo, dum beatæ ejus exuviæ decenti pompa, in templo Cathedrali Aboënsi, terræ mandata (re)ntur d. 5 Februarii Anno æræ Christianæ 1682. Præsitum a Collegis, Amicis et Patriotis, p. m. Defuncti. Aboæ 4to.*

rrrr) Decedens Rector, Mag. ANDR. THURONIUS, Log. et Phys. Professor, programmate publico ipsis idib. Maji ad mutationis sollemnia vocavit.

ssss) Mag. ANDR. PETREUS, Phys. Prof. programmate d. 20 Jun. scripto tradendorum successori insignium Magistratus Academici festivitate annuntiavit. Apparere eadem occasione scripta titulo: *Novum Rectoratus Honorem, in Virum Consultissimum et Præclarissimum Dn. M. AXELIUM KEMPE, in alma Universitate Aboënsi Juris Professore excellentissimum, solenni ritu, in templo Cathedrali Aboënsi XXII. Junii, anni supra Millesimum Sexcentissimum Septuagesimi Quinti, translatum. Eidem gratulabantur Discipuli et Studiosi Smolandi. Aboæ 4to.*

honorum insignia cætera, legitime constitutus Promotor distribuit. — Inspectioni suæ commissæ fuerunt familiæ juventutis Academicæ, Nationes appellant, tres, primo scil. a. 1658 d. 24 Nov. Ostrobothniensium, deinde Ostrogothorum, Westrogothorum et Dalensium, postremo a. 1679, in Octobri, Careliorum, Wiburgensium, Ingermannorum cæt. ejus tractus, alii succedente alia. Moris enim tum temporis fuit, aliter ac hodie fit, partitione coetus Academici sæpius suscepta, et varie, pro re nata, fines Nationum determinare, et curam earundem nunc huic nunc illi, prout optimum Consistorio fuerit visum, designato Inspectori tradere.

Mores beati Profesoris si quæris, dubii quidem nonnihilo de integritate eorum e rumoribus sinistris, tam ineunte quam media ejus ætate manantibus, ut supra monuimus, nec senili plane senescentibus, non potest non fluere; flamma enim fumo proxima. Cum autem turpitudinis quædam ei inusta, haud dicamus in jure, sed ne in opinione quidem hominum, nunquam fuerit nota, vel de publica ejus quid rumoribus illis detractum existimatione, satis honorifico non semel in virtute ejus acquiescentium, Patrum Civiumque Academicorum maxime, sed et aliorum, quorum major auctoritas, exemplo potius confirmata; fragilitatis quidem humanæ haud expertem, nec tamen abjecte sentientem, incautum aliquoties in culpam incidisse dandum forsan est, sed simul negandum, eo usque proterviæ processisse unquam licentiam, ut a veritate non minus alienæ quam a benevolentia non habeantur adversariorum criminationes, leviora quævis exaggerantes et prava quæcunque spargentes. Qui enim fieri potuisset, ut et in honorifico maneret officio et opinionem de se civium illæsam fervaret, qui temulentis tantum comisantibus acceptus, atque non famam solum aliorum honestam probri insimulatione, sed ipsos etiam conviciis, colaphis criniumque vellicatione publice invadens, et
 tecta,

teſta, fenestris noctu elisis, aggreſſus, vinoque gravis in carcerem detrufus, in offentionem bonorum omnium et publicam ignominiam incurrerit (ttt)? Quid? quod turpi insignem nota singularis profecuta fit favoris benevolentia Illuſtriſſimi BRAHE, morum illius magiſtri perſpicaciſſimi ſimul et ſeveriſſimi, cui ab inito inde Academico ſuo ad finitum uſque vitæ ipſius curriculum in deliciis fere fuit, quemadmodum e litteris Muſagetæ meritiſſimi in fidem dictorum jam citatis et dicendorum adhuc citandis plurimis, non tam ope atque officiis egentis annuenſis gratiæ, quam bene merenti ulro occurrentis ſtudii, plenis conſtat. Quin igitur de moribus KEMPII, parentali ejus die prolatum judicium GABR. WALLENII, ut quo certo ſtetur auctore, noſtrum cuique probetur, ſicut iis qui olim audiverunt placuiſſe videtur? Dicentem audiamus: *Ipſimet A. O. E. quibus ante tempus aliquod beatum hunc noſtrum noviſſe datum eſt, conſitebimini, quod amabilem illum omnibus bonis reddiderit ſimplicitas prudens, faſtus omnis inimica. Humanitas namque ejus variis virtutibus condita. Affabilitas per magna: in audiendo nulla difficultas: nulla in reſpondendo mora. Obſervantiam recti candor comitabatur laudabilis, a ſimulationum larva, et decipulis omnibus alienus. Unicum forte dicent inimici, ſi qui ſient, culpabile, quod libere ſententias dixerit in Senatu, libere in aliis conventibus, libere domi: ſed non excogitandum crimen, ubi nullum apparet: nec exaſperandum, ſi quod inveniatur.*

Ad familiares vero et domeſticas res Noſtri explicandas jam eſt ut nos accingamus, Ma-

ttt) His et aliis ejuſdem farinae multis litteræ MICH. GYLLENSTOLPE ad Com. P. BRAHE eo tempore ſcriptæ, quod de ſucceſſoribus in munera illius Academica nominandis ageretur, plurimæ, maxime vero diei 11 Febr. et 10 Jun. a. 1658 illæ perſonant. Conſerri etiam poteſt Prot. Conſ. Acad. d. 18 Sept. a. 1678.

Matrimonia inierat bina. Primum cum lectissima virgine ANNA (AGNETA) HOLMIA, quam, patre ELIA PETRI HOLMIO, Pastore Ecclesiæ *Nerpes* atque Paroeciarum adjacentium Bothniæ Meridionalis Præposito (uuuu), et matre ANNA REICHENBACH (vvvv), die 1 Febr. a. 1636 editam, thori sibi sociam d. 29

uuuu) Officio pastoralis admotus a. 1634, in eodem ad exitum e vita, circa a. 1696, permansit. Upsaliæ Dissertationem *Articulus de Providentia Divina*, præside OL. LAURELIO a. 1626 defendit, et in Synodo Cleri Bothniensis a. 1657? Præsidentem egit Dissertationis *Sincera de Dei essentia et tribus Personis doctrina*, Aboæ jam antea Præside ABR. THAUVONIO eod. anno ventilatæ. Cfr. *Catalog. Liden.* Delegatus nomine Cleri Bothniensis meridionalis fuit ad Comitia Regni a. 1664. Cfr. *Åbo Tidningar* 1792, N:o 50. — Matrimonio die 24 Jun. a. 1626 inito pater factus est liberorum sedecim, filiorum decem, filiarum sex, quorum tamen tres in ipso partu exstincti sunt, et octo alii animam Deo reddiderunt ante matrem, a. 1668 d. II Jan. mortuam, cui ergo superstitis non fuerunt nisi quatuor filii, cum filia unica. Eorum liberorum, præter ANNAM, KEMPII uxorem, hi tantum nobis innotuerunt: JACOBUS, Sacellanus in *Nerpes* a. 1655, et Pastor ibidem a. 1696, mortuus a. 1697, cujus est *Oratio in Proverbium, Heroum Filii Noxæ*, in Academia Aboënsi d. 25 Mart. a. 1655 enarrata: JOHANNES, discipulus quoque EENHOLM, qui Orationem Panegyricam *de Magistratu Politico* in Academia hac eadem d. 25 Mart. a. 1659 proclamavit, Juris Studiosus: PETRUS, cujus exstat ingenii quoddam specimen inter carmina, Titulo: *Funebres Tibiæ in præmaturum obitum — — Juvenis D. MARTINI MATHIÆ ARONII — — cantatæ et inflatæ a Sympatriotis et Amicis, Aboæ a. 1658 editæ; ELIAS, albo Academix hujus inscriptus d. 6 Nov. a. 1659: atque CATHARINA, nupta CAROLO JOHANNI HOFFRÉN, Sacellano in *Nerpes*.*

vvvv) Pater hujus; natæ d. 1 Febr. a. 1607 in oppido Borussico *Knifwen*, fuit ELIAS REICHENBACH, Misnia e nobili familia Germanica oriundus, qui administratis quibusdam tam in patria, quam in Polonia, et togæ et fagi muneribus, tandem Susciam allatus præfectus est Castello Waxholm atque Inspector Telonii Germanici ibidem fa-